

18 Quares tertio, an privilegium expiaret, eo cui conce-

ditur expirante? Respondeo privilegium personale extingui cum perso-

na, quia personam sequitur, ut dicitur regula 7. de re-

gulis juris in 6. non autem privilegium reale, quia non

est annexum personae, sed muneri, dignitati, aut condi-

tionibus distincte a persona.

19 Quares quarto, an privilegium in favorem privilegiati

concessum, per ipsius renunciationem cesset & amittatur?

Respondeo illud cessare, quando talis renuntiatio ac-

ceptatur ab eo qui privilegium concessit, nam tunc dis-

solvitur contractus qui inter privilegium concedentem &

acceptantem intercedit: fecus vero si talis renuntiatio ab

eo qui privilegium concessit acceptata non fuerit; cum

enim privilegium a voluntate concedentis pendeat, non

desinit, sed moraliter ab illo conservari censetur, donec

renuntiatio a privilegiato factam acceptaverit. Lo-

quimur autem hic de privilegio quod in potestate facien-

di vel non facienti aliquid contra jus commune consti-

tuisset, non autem de privilegio seu dispensatione, quae in

ablatione alicujus canonici impedimenti versatur, ut est

dispensatio ab aliqua censura, vel impedimento matrimo-

nii, tale enim privilegium non cessat per renunciationem

ipsius privilegiarii, cum id quod factum est, non factum

esse nequeat, neque id quod ablatum est redire; praeter-

ea per privatam hominis voluntatem.

20 Quares quinto, an privilegium per non usum seu de-

fectum amittatur? Respondeo privilegia odiosa, quae scilicet redundant in

gravamen & quasi servitutem aliorum, amitti prescrip-

tionem longi temporis, per non usum privilegii; ut de

nundinis dicitur expresse L. 1. ff. De nundinis, ubi sta-

tuatur ut privilegium nundinarum, per non usum, decen-

nio amittatur. Ratio est, quia prescriptio aequae locum

habet contra ejusmodi onera & servitutem, ac contra quas-

vis alias. Si vero privilegia sunt mere favorabilia, &

non cedant in prejudicium aliorum, non amittuntur per

prescriptionem; quia necesse est privilegii contra se ip-

sam prescribere potest; nec alii contra ipsum, quia ip-

sorum nihil interest.

21 Quares sexto, an privilegia amittantur per delictum

ipsius privilegiarii? Respondeo quod delictum duplex esse potest: unum

non pertinens ad usum privilegii, & tale delictum non

tollet privilegium, nisi in casibus jure expressis, quo pa-

ter Clericus mercaturam exercens, perdit privilegium cle-

ricale lori cap. ult. de vita & honestate Clericorum. Alter-

rum pertinens ad usum privilegii, id est abusus privilegii,

vel per excessum facultatis concessae, vel sumendo inde

Quares octavo, quot modis privilegium revocari possit?

Respondeo illud duobus modis revocari posse, nimirum

per expressam, & tacitam revocationem. Expressa revo-

catio est, quae fit per verba sufficienter indicantia revo-

cationem privilegiorum, vel in specie, ut cum v. g. di-

citur, non obstante tali privilegio, vel in genere, ut cum

dicitur, non obstantibus quibuscunque privilegiis. Per tacitam

vero revocationem, ea intelligitur, quae fit per Su-

perioris actum qui subsistere non potest absque derogatio-

ne privilegii, ut cum v. g. jubet superior tributum exigi

ab eo quem a tributo exemerat, aut cum concedit no-

vam privilegium cum altero incompatibile.

Censent autem plures Theologi & Canonistae privilegia

corpori juris inserta non revocari, nisi illi qui habet re-

vocandi potestatem, faciat expressam illorum mentionem;

ita ut non sufficiant clausulae generales, quae tantum vim

habent in privilegia non inserta corpori juris.

Advertendum est etiam, privilegia revocationem fieri

posse dupliciter, nempe per legem, & privatim. Si fiat

primo modo, requiritur revocationis publicatio, quia per

est ratio obligationis legis & revocationis privilegii: Er-

go licet lex non obligat ante promulgationem, sic nec re-

vocatio privilegii suam sortitur effectum ante publicatio-

nem. Si vero privilegii revocatio fiat secundo modo, non

est opus praedicta publicatione, sed sufficit ut ipsi privi-

legiario ipsa revocatio innotescat. Sic facultas Sacerdoti

concessa ad absolvendum a casibus reservatis, cessat sta-

tim atque ejus revocatio illi innotatur & innotescit.

DISPUTATIO IX.

De Legum Interpretatione.

DE legibus humanis tam in communi quam in parti-

culari, praecedentibus disputationibus fuisse differimus,

nunc breviter agendum est de illarum interpretatione, seu

variis modis eas interpretandi, & praecipue de epikia,

& necessitate interpretandi legem per illam. Unde fit

ARTICULUS I.

De variis modis interpretandi leges humanas, praecipue de epikia.

DICO primo, triplicem esse legis humanae interpreta-

tionem: nimirum authenticam, usalem, & doctrina-

lem. Ita colligitur ex Glossa in legem, ff. de interpreta-

tionem, ff. de legibus.

Probatur breviter, quia legum humanarum interpreta-

tio, vel sit auctoritate ipsiusmet qui condidit legem, sic

quae dicitur authentica. Vel legis habet, ut colligitur

ex lege ult. Cod. de legibus. Vel sit us quaedam & con-

suetudine, juxta id quod dicitur cap. Cum dilectus, de

consuetudine, ubi consuetudo dicitur optima legum inter-

pretatio, sicut dicitur interpretatio usualis. Vel denique fit

per doctrinam interpretum, sicque dicitur interpretatio

doctrinalis, quae licet vim legis proprie non habeat, suam

tamen auctoritatis gradum habere non desinit.

Dico secundo: Legis humanae interpretatio per epikiam

in aliquibus casibus necessaria est.

Probatur: Epikia ab Aristotele 5. Ethicor. cap. 10. de-

finiatur. Emendatio legis est parte qua desit propter univer-

salem: id est aequa & rationalis interpretatio, quod lex

non obligat in aliquo particulari casu, licet verbis uni-

versalibus a Legislatore data sit. Exempli gratia, lex ge-

neralis est, depositum esse reddendum; aequa tamen &

rationalis interpretatio est, non debere reddi in eo ca-

su, quo noceret repetenti, aut alteri innoxio, ut si fu-

riolosensem suum repetat ad sepulchrum occidentium, vel

alium, sine justa causa. Lex generalis est, ne aperian-

tur legem sabbati non obligare ad non vellendas spicas, in simili necessitate edendi. Quod sapienter factum esse dubitari non potest, cum utrorumque factum Christus lo-

4 Dico quarto, stante iudicio dubio, non habet locum epikia, sed conveniri debet superior, vel non est agendum preter verba legis. Ita D. Thomas hic q. 69. art. 6. ad 2. ubi sic ait: Ille qui sequitur intentionem legislatoris non interpretatur legem simpliciter, sed in casu in quo mani-

5 Ratio etiam id suadet, in dubiis enim melior est conditio possidentis: Sed in casuposito, lex possidet: Ergo secundum verba ejus est agendum, si superior consilii non potest.

6 Confirmatur ex precebre illi sacrorum Canonum axiomate: In dubiis rarior pars est eligenda, quod desumitur ex cap. Ad audientiam, de homicidio, & ex cap. Significasti, 2. eodem titulo, & ex cap. Juevit, de sponsalibus, ubi sic dicitur: In his quae dubia sunt, quod certius existimamus tenere debemus. Unde S. Thomas quodlib. 2. art. 13. si quis in quodam dubitationem inducitur contra-

7 Dico ultimo, quando probabiliter iudicatur, legem non comprehendere aliquem casum, licet uti epikia; dummodo tunc non habeatur aliud iudicium, quo probabilius existimetur casum illum comprehendere.

8 Haec conclusio patet ex principiis statuti in disserta-tione de probabilitate, ubi ostendimus iudicium probabile in moralibus sufficere quidem interdum ad prudenter ope-randum, quando non occurrit aliud probabilius: si tamen fiat concursus duarum opinionum probabiliorem, nos teneri sequi eam quam iudicamus probabiliorem; alioquin pec-camus contra regulas prudentiae, quae dicitur huic potius adhaerendum esse sententiae; quae nulli profus errandi aut peccandi periculo nos exponit, quam illi, quae nos probabili saltem peccandi & errandi periculo reddit obnoxios. Unde Chrysolomus homil. 44. in Matth. Si vestimen-

9 Idem docet subtilis Doctor in 3. dist. 25. qu. 1. num. 8. ubi sic scribit: In moralibus quando sunt alterationes de aliquo peccato, quando primo est mortale, ut si unus perius in scientia dicat quod non licet sic mercari, & alius dicat quod licet: tutius est non procedere sic nec sic, sed expectare quousque veritas pateat alteri: si enim ita esset quod unus Doctor diceret, aliter peccare mortaliter, nisi sic faceret, & alius quod peccaret, si sic faceret, tunc simplex foret perplexus: id bene videndum est in moralibus atqueam aliquod asseratur, quia videlicet cum habens duas opiniones contra-rias perplexus sit, periculosus se determinaret ad unam, nisi se diligenter inspecta probabiliter eligeret. Et in dist. 11. q. 6. Cum multis (inquit) sit probabilior pars negati-va, non sine peccato aliquis se exponit dubio, sequendo affirmativam minus probabilem. Sed de hoc fusius in praedicta dissertatione de probabilitate.

DISPUTATIO X.

De legum mutatione.

Ad quaestionem 97. D. Thomae.

CUM tripliciter lex aliqua mutari possit, nimirum per dispensationem, seu relaxationem juris circa aliquas personas, per abrogationem, & per cessionem, seu simplicem desinonem, ut quando lex ad tempus lata, eo elapso expirat: ut legum humanarum mutatio perfecte declaretur, de triplici illo modo mutandi leges humanas, breviter hic agendum est, & primo de dispensatione, deinde de abrogatione, & cessionem legum humanarum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit dispensatio, & an ea in legem humanam cadere possit?

Dispensatio definitur a Glossa in cap. Requiritur 1. q. 6. Juris communitate relaxatio facta cum cognitione causa, ab eo qui jus habet dispensandi. Verum cum hac definitio supponat ad valide dispensandum necessariam causae co-

Theol. Gener. Tom. III.

gnitionem, quod in controversiam vertitur, illam sic alii definiunt: Dispensatio est juris relaxatio, a potestatem relaxandi habente facta. Alii demum omitta causa efficiente, per formalem sic breviter eam definiunt: Dispensatio est juris relaxatio.

Ex his definitionibus colligitur primo, dispensationem a in eo differre a legis interpretatione, quod haec declarat tantum legem suam vim obligandi non habere in aliquo casu, vel persona particulari: illa, adhaec vigente legis obligatione, subditum eximit a legis obligatione, quo alioquin attingeretur. Quo fit ut legem interpretari, non sit tantum superioris, sed etiam subditi, qui per epikiam potest in casu particulari declarare legem non obligare: contra vero in lege dispensare non potest, nisi superior, cum sit actus jurisdictionis, qui superioritatem requirit in dispensante, & subjectionem in eo cum qui dispensatur.

Colligitur secundo, dispensationem differre a privilegio, nam privilegium proprie est privata lex, quae potest aliquando esse contra jus, & tunc est dispensatio; aliquando vero est praeter jus, & tunc non est proprie dispensatio.

Colligitur tertio discrimen quod inter abrogationem & dispensationem versatur, nam abrogatio non est contra legem communem, sed potius secundum illam, si persona absolvenda illam mereatur; dispensatio vero est contra legem communem, cum sit juris relaxatio.

Colligitur quarto, dispensationem rem esse odiosam, subindeque restringendam, seu stricte interpretandam: quia odiosum est eximi a lege, quae aequaliter omnes obligat; & quia, ut ait regula 28. Qua a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

Colligitur quinto, dispensationem recte vulnus seu vulnerationem legis appellari 23. qu. 4. can. Ista vitas: Lex enim ex duplici causa vim & vigorem habet, primo ex auctoritate legislatoris, cujus prudentia regulam actibus humanis imponit, & ex consuetudine, quae est vis constitutiva legis; quia consuetudo difficile vincitur, praecipue, si sit multitudinis; unde fit ut lex non valeat contra consuetudinem, sed potius consuetudo contra legem: quando autem cum aliquo juris rigor relaxatur, detrahatur aliquid de auctoritate legislatoris, & de consuetudine, & sic veluti indigitur vulnus legi. Quod per dispensationem aliquid detrahatur a consuetudine, manifestum est; quod vero etiam de legislatoris auctoritate detrahatur, ex eo patet quod legislatoris auctoritas fundatur in prudentia gubernativa; prudentia autem est praevidere res futuras, & casus qui possunt emergere, eisque opportuna remedia adhibere. Quando ergo dispensatur in lege aliqua, tunc quoddammodo taxatur minoris prudentiae legislatoris, eo quod casum illum particularem non praevidit.

Ex quo intelligitur, quod licet in legem divinam non possit cadere dispensatio proprie & stricte sumpta, quia Deus omnia singularia & contingentia praevidet, nec in legem naturalem, cum illa nihil aliud sit, quam impressio legis divinae & aeternae facta in mentibus nostris: bene tamen in legem humanam, quia nimirum legislator humanus, quantumcumque prudens, non potuit singulos casus emergentes & contingentes praevidere. Unde Sapienter 9. dicitur: Cogitationes mortalium timidae, & incertae providentiae nostrae.

Addo quod, sicut ad bonum commune conducit eximere aliquas personas per speciale privilegium a lege communi; ita ad idem bonum commune promovendum convenit cum aliquibus personis in eadem lege dispensare, cum non minus per privilegium, quam per dispensationem, fiat a communi lege relaxatio.

Dices, Leges humanae sunt conclusiones deductae ex lege naturali. Ergo si dispensatio in legem naturalem cadere nequeat, non poterit etiam cadere in legem humanam.

Sed nego Consequentiam, duplex enim distinguendus est modus quo leges humanae ex naturali deducuntur. Unus per modum conclusionis evidenter contentae in principii natura, ut in illo universalis principio: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, evidenter continentur illae conclusiones: Non est occidendum. Non est furandum. Nihil supra justum est accipiendum. Alter per modum particularis determinationis, ut cum Princeps statuit certa materia, quorum observatione publicum bonum promovetur & conservatur, non esse nocte arma ferenda; certis temporibus abstinentum esse a carnibus; in publicis contractibus, certis caeremonias esse servandas, & similia, quae in principii naturalibus non continentur evidenter, cum aequae ipsa, ac opposita, vel alia disparata, pro publico bono servando statui possint. Quamvis ergo in leges humanas primo modo in principii legis naturae contentas, dispensatio cadere nequeat, cum illa immediate obligent ex jure naturae, unde, eadem sunt apud omnes gentes, & ad jus gentium pertinent, ut docet S. Thomas supra quaest. 95. art. 4. bene tamen in leges humanas secundo modo contentas in principii natura, cum illa immediate non obligent ex jure naturae, sed ex praepcepto & imperio Principis, qui sicut potuit a principio tales non ponere, ita & ab illis

semel potest certas personas per dispensationem vel per privilegium eximere potest.

In hoc omnes Theologi conveniunt, sed dubitatur, & queritur primo, an liceat superiori subditum sine justa causa a lege humana dispensare?

Respondetur negative, contra aliquos Auctores relatos a Sanchez lib. de matr. disp. 3. qui existimant supremum Principem, etiam sine justa causa, in sua lege dispensare posse, solumque Principis voluntatem dicunt justam esse causam dispensationis. Oppositum docent alii Theologi cum S. Thoma hic art. 4. ubi haec scribit: ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, qua sua auctoritati immititur, ut scilicet in personis, vel in casibus, in quibus deficit, licentiam tribuat, ut praecipuum legis non servetur. Si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens, & infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune, imprudens autem, si rationem dispensandi ignorat, propter quod Dominus dicit Luca 12. Qui putat se fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Quibus verbis rationem fundamentalem nostrae resolutionis insinuat, nempe contra fidelitatem & implicitum pactum cum republica agit Princeps, qui absque justa causa a legibus commune bonum spectantibus cum aliquo dispensat. Ergo peccat sine justa causa dispensare. Consequenter patet: Antecedens probatur. Princeps potestatem legislativam, in qua includitur dispensativa, cum tacita conditione a regno vel republica accipit, ut illa uti non possit in destructionem & nocuummentum ipsius ac regni ac republicae. Ergo contra fidelitatem & implicitum pactum cum republica agit, dum in legibus communibus sine causa dispensat. Unde Bernardus lib. 3. de considerat. cap. 4. Queritur inter dispensationes ut fidelis quis inveniantur. Ubi necessitas niger, excusabilis dispensatio. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas (dico) non propria, sed communis. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.

Ad do quod, quilibet sine justa causa dispensat, imprudenter & irrationabiliter agit, eximendo a lege communi eum qui non est eximendus; quod est vitium acceptionis personarum, oppositum justitiae distributivae respectu Principis, peccatis contra suum officium. Unde Tridentinum sess. 25. cap. 18. de reform. prohibet dispensare sine urgenti iustaque causa.

Quaeres secundo, an dispensatio sine justa & rationabili causa concessa, nequam illicita, sed etiam invalida sit?

Respondetur quod dispensatio legis data a supremo Principe, hoc est a Legislatore, sive ab eo qui est aequalis ei, aut etiam superior, sine causa legitima, est valida in utroque foro; secus vero dispensatio data ab inferiori in lege superioris, sine legitima causa.

Ratio prima partis est, quia lex omnino pendet a voluntate Legislatoris in fieri & conservari, qui sicut a principio potuit eam non condere, ita & eam potest in totum abolere, per abrogationem, & ex parte tollere seu restringere, eximendo aliquem vel aliquos ab eius obligatione, quod fit per dispensationem: Ergo dum Legislator absolute & sine causa, vult aliquem a lege eximere, illico manet exemptus, & legis obligatio, respectu illius, manet sublata; alias conservaretur & superstes maneret vis legis independentem a voluntate, immo contradicente voluntate Legislatoris; quod est minus impossibile, quam creaturam conservari in suo esse & virtute, suspendente Deo circa illam suum concursum conservativum.

Ratio vero secunda partis est: Cum nequeat inferior in lege superioris dispensare, nisi per potestatem sibi a superiore concessam; cumque rationabiliter presumi non possit, superiorem potestatem concedere inferiori, ut sine justa causa in sua lege dispenset, sequitur omnem dispensationem factam ab inferiore in lege superioris, sine justa causa, esse invalidam & nullam, defectu potestatis. Hinc

Colligitur primo, dispensationem factam a Summo Pontifice in votis, vel in aliis que sunt de jure divino, aut naturali, sine legitima causa, invalidam esse, subindeque sic dispensatum, non posse tali dispensatione uti; tuta conscientia, quia Summus Pontifex non accepit a Christo potestatem dispensandi in jure divino, aut naturali, sine rationabili causa, ut recte observant Cajetanus in Summa verbo, Dispensatio, Sylvestri verbo Jerom. 4. q. 3. & Secus de iustitia & jure qu. 7. art. 3. ad 3.

Colligitur secundo, Summum Pontificem posse valide dispensare, ex plenitudine suae potestatis, in quibuscumque legibus ac statutis Conciliorum generalium, & aliorum Summorum Pontificum, etiam sine legitima causa. Quia omnes illae leges sunt juris humani, supra quod Summus Pontifex habet supremam & pleam potestatem, qua & illud potest in totum abolere, per abrogationem, ac tollere per dispensationem, licite quidem & valide, cum causa: illicite vero, sed valide si nulla causa iusta talis dispensationis existat. Unde Bernardus lib. 3. de considerat. ad Eugenium Papam cap. 4. sic scribitur: (in-

quit) potestis nos habere plenitudinem potestatis, sed iustitia fore non tenet. Hoc factis, quia potestis, sed utrum & de beatis, quibus est, summum ac dignitatem gradus conferimus potestis esse, non videtur.

Colligitur tertio, dispensatum a superiori in eius lege, sine causa, non peccare utendo tali dispensatione, sed ea posse uti iusta conscientia. Nullus enim peccat utendo iure suo: At sic dispensatus utitur iure suo, utendo indulgentia dispensationis sibi concessa: Ergo non peccat in huius dispensationis usu.

Nec valet quod ait Martinonius in Tractatu de legibus disp. 32. sect. 3. num. 27. quod licet urens tali dispensatione non peccet contra legem humanam, quae definit ipsam obligare, peccat tamen contra jus naturale, quia turpis est pars, quae toti non consentit. Non valet, inquam, quia licet turpis sit pars quae a toto sine causa discordat, non tamen quae discordat a toto, cum causa: At ille qui utitur tali dispensatione, non discordat a toto, sine causa, nam ad non servandum legem illam in qua est dispensatus, habet causam & titulum legitimum, scilicet beneficium dispensationis: Ergo nec contra legem humanam, nec contra jus naturale peccat.

Colligitur quarto, inferiorem Prælatus, vi suae potestatis ordinariae, non posse dispensare in lege Prælatis superioris. Nam dispensare est tollere vim legis ex parte, & respectu personae quae dispensatur: Sed tollere vim legis, est dimittere illius qui legem condidit, vel qui aequalis cum eo gaudet potestate; non vero illius qui potestatem inferiorem habet: Ergo Prælatus inferior non potest, vi suae potestatis ordinariae, dispensare in lege superioris.

Sunt tamen aliqui casus in quibus Prælatus inferior, potest, vi suae potestatis ordinariae, in lege Prælatis superioris dispensare. Primus est, quando leve est materia; ita ut transgressio legis sit tantum veniale; sicut enim veniale peccatum nulli est reservatum, sed quilibet Sacerdos ab eo potest absolvere, sic etiam ab obligatione legis potest inferior Prælatus, ratione levitatis materiae dispensare. Ad do quod nec ratione nec recte & suavi gubernationi consonum est, ut semper pro legibus ad superiorem recurratur, tamen ad illum facilis sit recursus.

Secundo potest dispensare inferior Prælatus in his que frequenter occurrere solent, & usualiores sunt dispensatio in jejuniis, in festis celebrandis, & similibus; nam & grave esset Principi, & nimis difficilis redderetur gubernatio, & fatis limitata esset auctoritas gubernantis, si in huiusmodi preceptis dispensandi, semper recurreretur ad ipsum Principem.

Tertio potest dispensare inferior Prælatus in his que ita propria sunt unius communitatis, ut nullo modo conveniant aliis. Ea enim que sunt propria unius communitatis, sunt magis nota & perspecta iudicatio gubernatori, quam supremo Principi aut Prælato, ac proinde melius ipsa quam superior illis iudicare poterit.

Quarto, potest dispensare inferior Prælatus, cum in casu extraordinario urget necessitas dispensandi, atque periculum in mora, & valde difficilis est ad superiorem recursus. Sic potest Episcopus dispensare in impedimento matrimonii, alioquin dispensabili, si cum defectu occulto palam in facie Ecclesiae, saltem cum alterius conjugis bona fide, fuisset celebratum, ipsa vero separatio fieri non posset, nisi cum maximo incommodo. Secus autem, si nondum esset in facie Ecclesiae celebratum, ad Summum enim Pontificem tunc recurreretur esset.

Demum potest Prælatus inferior dispensare, cum dubium est utrum casus dispensatione egeat, vel non, tunc enim presumptio est pro libertate, quae possidet; unde fit ut casus nisi certus sit, reservatus communiter non censatur.

ARTICULUS II.

An, & a quo, & quibus modis, lex humana abrogari possit?

Constat ex dictis articulo precedenti, abrogationem a dispensatione differre: abrogatio enim est totius legis ablatio; dispensatio vero est solum quaedam legis restrictio & limitatio circa aliquam personam, aut aliquos effectus, manente illius obligatione circa alios.

Constat etiam differre abrogationem ab irrogatione, de irrogatione, correctione, & cessatione legis. Irrogare legem, est impedire, ne illa obligandi robur obtineat. Abrogare est, postquam vim obligandi lex obtinuit, illam in universum tollere. Derogare est, illam non in totum, sed in parte tollere. Corrigitur legem est, illam moderari, addendo vel demendo aliquid. Demum lex cessare dicitur, quando vel finitur tempus pro quo illa ad obligandum posita fuit, vel cessat causa propter quam lata fuerat. His praemissis

Dico primo leges humanas mutari & abrogari posse; abrogari tamen aut mutari non debere, nisi ex tali abrogatione vel mutatione major aliqua utilitas speretur. Ita D. Thom. hic art. 1. & 2.

Probatur.

Probatur prima pars ratione quam art. 1. insinuat, nam leges humanae considerari possunt vel ex parte rationis humanae a qua procedunt, vel ex parte hominum quorum actus lege diriguntur: Sed ex utroque capite mutabiles sunt: Ergo leges humanae mutari & abrogari possunt. Minor quantum ad primam partem evidens est, cum enim ratio humana finita & limitata sit, & ab imperfecto ad perfectum procedat, non potuit legislator statim a principio providere omnia quae ad utilitatem Reipublicae magis conducere possunt, unde posteri beneficio temporis poterunt aliqua excogitare ad Reipublicam utilitatem conducentia, quae non excogitarunt Majores: Ergo ex parte rationis humanae, quae est legum constitutiva, leges humanae mutabiles sunt. Quod vero etiam ex parte morum & temporum, mutationi obnoxiae sint, etiam constat; saepe enim aliqua lex uno tempore expedit, quae alio, variatis hominum moribus, expedit non judicatur. Ita Deus alius legibus & preceptis usus est in hominibus regendis, ante ac post Christi adventum; aliique legibus utitur in presenti, ac uturus est in futura vita, variata hominum conditione ac statu vivendi. Aliud exemplum afferit S. Thomas ex Augustino lib. 1. de libero arbitrio cap. 6. ubi sic ait: Si populus bene moderatus (vel ut alii legunt, bene moratus) sit, communisque utilitatis diligentissimus cultus, in quo unusquisque minoris rem privationem quam publicam pendat, non recte lex fertur, qua tali populo licentia creare sui magistratus, per quos Reipublica administratur. Porro si paulatim depravatus idem populus, rem privationem publicam pendat, non recte lex fertur, qua tali populo licentia creare sui magistratus, per quos Reipublica administratur. Porro si paulatim depravatus idem populus, rem privationem publicam pendat, non recte lex fertur, qua tali populo licentia creare sui magistratus, per quos Reipublica administratur.

Probatur etiam secunda pars conclusionis ratione quam insinuat D. Thomas art. 2. Plus detrimenti timendum est, quam utilitatis sperandum, in legum mutatione propter periculum contemptus legum ex una parte, & majoris facilitatis servandi antiquas; quibus diuturna observatio affuevit. Ergo nisi haec compensetur certa spe majoris utilitatis, quae ex huiusmodi mutatione legis speretur, non licebit eas mutare. Unde Ulpianus Digesto veteri lib. 1. tit. 4. de Constitutionibus Principum lege 2. In rebus novis consuetudines evidentes debet esse utilitas, ut recedatur ab eo jure, quod diu equum visum est.

Advertendum tamen, quod licet Legislator peccet, abrogando leges absque iusta causa & utilitate, abrogatio tamen sic facta, valida est, nec tenentur amplius subditi legem sic abrogatam servare; quia lex essentialiter constituit voluntatem & imperio Principis, unde eo, ob quamcumque tandem rationem sublato, cessat lex, subindeque obligatio eius, nam ubi lex non est, nec legis obligatio esse potest.

Dico secundo: Quivis Legislator potest legem quam condidit abrogare, Superior etiam potest legem inferioris abrogare, non tamen inferior legem superioris.

Prima pars patet, cum enim, ut supra dicebamus, lex essentialiter constituit voluntatem & imperio Legislatoris, ab eo dependet in esse & conservari, subindeque eo sublato cessat lex.

Secunda etiam evidens est, quia superior habet plenam potestatem supra inferiorem, consequenter supra omnes leges ab eo conditas.

Tertia vero, quae afferit, inferiorem non posse legem superioris abrogare, habetur in Clementina, Ne Romani Pontificis, in qua a Clemente V. definitur, legem superioris non posse per inferiorem abrogari, corrigi, aut mutari, cum inferior nullum jus aut potestatem habeat in superiorem, ejusque constitutiones ac leges. Unde Episcopi, vel Cardinales, leges Pontificias abrogare nequeunt, multoque minus possunt Laici legibus, & canonibus Ecclesiasticis derogare. Similiter Magistratus civiles, & communitates, aut Principes, ateri superiori subditi temporaliter, non possunt legibus ejus civilibus, & juri communi totius imperii derogare, aut contrarium aliquid in proprio territorio statueri, ut male docent nonnulli Jurista, perperam in hunc sensum allegantes legem Omnes populi; si de iustitia & jure, ubi solum dicitur, civitates Imperatori subiectas habere potestatem condendi leges proprias, & suis moribus accommodatas. Quod intelligendum est de legibus non contrariis legibus Imperialibus, quae scilicet quamvis aliquid novum & diversum intendant, non tamen repugnant & contrarium.

Dico tertio, tribus modis lex antea acceptata abrogari potest; primo, per expressam revocationem Principis; secundo, per constitutionem novae legis priori repugnantis; tertio, per contrariam consuetudinem.

Conclusio patet quoad omnes partes: Advertendum tamen est, quod si abrogatio fiat per contrariam legem, debet illa lex promulgari, ut habeat vim completam abrogandi alteram; quia sine promulgatione non habet vim & rationem perfectam legis. Si vero lex simpliciter, &

Theol. Cover, Tom. III.

pure revocetur, absque nova legis constitutione, definit quidem lex in re ipsa esse, hoc ipso quod Legislator inferior eam apud se revocat, nullo adhuc dato signo externo revocationis, manet tamen adhuc ejus obligatio in subditis, ob ignorantiam talis revocationis. Quare ut procedat & utiliter legis revocatio fiat, debet subditis intimari, & quidem publice, ad vitanda scandala, & morum dissimilitudinem, alioquin aliqui propter notitiam privatam revocationis legem non fervarent, aliis adhuc servantibus, & fervari debere crederentibus, ob ignorantiam revocationis illius, quod maximam Reipublicae deformitatem, dissimilitudinem, ac turbationem induceret.

Quaeres, quinam sint casus in quibus cessat obligatio legis humanae?

Respondetur obligationem legis humanae cessare primo, si ejus observatio reddatur nociva. Secundo, si ejus observatio fiat impossibilis cum lege naturali, vel divina. Tertio, si ratione subiecti, vel alicujus circumstantia particularis, lex fiat observata moraliter impossibilis. Demum quando cessat tota & integra ratio propter quam lex fuit lata, eo ipso cessat legis obligatio, ut docent Cajetanus, Navarrus, Henriquez, & alii, quamvis Suarez lib. 6. de legibus cap. 9. oppositum doceat, licet enim fateatur, quod quando leges praecipunt actus de se indifferentes, ut ferre aut non ferre arma, exportare, aut non exportare triticum, & similia, cessant, deficientes sine adaequato ad quem leges illae ordinantur; contenti tamen, quod quando lex praecipit actum de se bonum, non cessat, deficiente sine extrinseco quem legislator intendit, quia, inquit, bonitas intrinseca, qua pollet, est finis proximus & intrinseca obligatio.

Opposta tamen sententia videtur probabilior, quia nisi miramur lex non obligat, nisi iusta voluntatem Legislatoris a quo fertur; neque continet obligationem, nisi perseverante moraliter eadem voluntate: Atqui cessante tota & integra ratione propter quam legem tulit, non perseverat moraliter voluntas obligandi: Ergo cessante tota illa ratione, lex non amplius obligat. Major patet, Minor probatur, quia Legislator non habuit voluntatem obligandi, nisi dependenter ab illa ratione, & propter illam, sive actus alioquin habuit intrinsecam bonitatem, sive non: At cessante ratione motiva, vel causa finali propter quam aliquid volumus, desinitur illud velle, cum impossibile sit stare actum voluntatis, sublato ejus objecto formali: Ergo cessante tota & integra ratione propter quam Legislator legem tulit, & voluit eam obligare, cessat quoque voluntas obligandi.

Confirmatur: Si lex praecipit jejunium semel in hebdomada, ad Deum placandum, propter aliam necessitatem publicam, cessante publica necessitate, cessat obligatio jejunii, quamvis circa illam necessitatem, jejunium sit actus virtutis, habens bonitatem & honestatem intrinsecam temperantiae: Ergo quamvis lex praecipiat actum intrinsece bonum, si tamen cesset causa adaequata legis, seu tota ratio motiva propter quam fuit lata; cessat ejus obligatio.

Dixi cessante causa adaequata, quia si lex lata fuit ob plures causas, cessante una, modo non cessat illa propter quas lata est, non cessat obligatio legis. Sicut quia lex baptismi lata est non solum ad tollendum originale, sed etiam ad consignandum hominem Christiana religioni, eumque a ceteris sectis distinguendum, & reddendum idoneum & capacem ad reliqua sacramenta suscipienda; tamen est prima causa cessare, & peccatum originale, per sanctificationem in utero matris, esset sublato, nihilominus adhuc lex baptismi, propter alias causas propter quas lata est, obligaret.

DISPUTATIO XI.

De lege Divina veteri.

Ad quaest. 93. D. Thomae, usque ad 106.

Hactenus de lege humana fuisse differimus, nunc agendum nobis est de lege Divina positiva, cujus necessitatem demonstrat S. Thom. supra quaest. 91. art. 4. ubi quatuor assignat rationes, cur lex Divina, ultra naturalem & humanam, necessaria fuerit. Primo, inquit, quia per legem dirigitur homo ad actus proprios in ordine ad ultimum finem. Et siquidem homo ordinatur tantum ad finem qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, non porteret quod homo haberet aliquid directivum ex parte rationis, supra legem naturalem, & supra legem humanitatis politam, quae ab ea derivatur. Sed quia homo ordinatur ad finem beatitudinis aeternae, quae excedit proportionem naturalis facultatis humanae; ideo necessarium fuit ut supra legem naturalem & humanam, dirigeretur etiam ad suum finem, lege divinitus data.

Secundum.